346.E.5, 301

DE B. MARIA AD NIVES
ORATIO
HABITA NONIS AVGVSTI IN BASILICA VATICANA
A DOMINICO ORPHEO DE LEONIBVS ROMANO EIVSDEM BASILICÆ ACOLYTO.

AVCTORE

IOANNE BAPTISTA MAZZIOTTO
Vaticani Seminarij Rectore.

Anno Iubilæi. MDCL.

BIBLIOTECA NAZ



ROMÆ,
Ex Typographia Ludouici Grignani. MDCL.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

LVCÆ HOLSTENIO

Baſilicæ Vaticanæ Canonico

IO. BAPTISTA MAZZIOTTVS.F.

DIVTVRNAM vitalis lucis vſuram nequicquam ſperant mei fœtus ingenij (Præſul Illuſtriſſime) niſi nutricem habeant alicuius beneuolentiam, qui cùm perenni ſeculo digna parturiat; longiorem alienis partubus vitam valeat comparare. Eiuſmodi quærenti mihi nutricem tu ſolus occurris, quem ingenij pretium, & ſapientiæ auctoritas eò prouexerunt; vt quicquid ſcribis ipſe, vel loqueris, oraculi locum inueniat; quicquid probas, ab omni non modò malitiæ,

verùm & humilitatis contemnendæ ſuſpicione vindicetur. Tuum igitur expeto huic orationi patrocinium, & ſupplex clementiam precor tuam; vt quam in me maximam benignitatem oſtendiſti; mei ingenij fœtibus, quibus præes Lucina fortuniſſima, communem efficere non dedigneris. Vale.

VIR-

Digitized by Google

VIRGO NIVE CANDIDIOR

PANEGYRIS.

NATVRA rerum opifex totidem patrat miracula, quot res in Mundo extruit. Toties prodigioſa, quoties effectrix. Nunquam tamen ad ſtuporem adeò euocat mentem; quàm cum imperfecta, quæ Meteora nuncupantur, efficit opera: vbi videtur partim ludere, partim ſeriò agere, dum & vtilitate iuuat, & oblectatione blanditur. Ea miraculo propiora; quia faciliùs ingenium fugiunt: ignorantur magis eorum exordia, quia à cæteris maximè differunt. Nec ad Cometes vos prouoco, quorum fulgor bellorum, aut Principum obitus, nuncius, placet tamen, & intuentium animis voluptatem inſtillat. Non ad flammas, quæ cadentia ſidera mentiuntur. Nō ad Parhelia plures, videlicet, ſoles in nube rorifera rutilantes. Taceo filiam admirationis Thaumantidem, quæ trophæum pulſorum imbrium in arcum triumphalem curueſcit, quo non tàm ex procellis, quàm ex humana ignorantia victoriam explicet ſuam. Metallorum præſtantiſſimum prætereo Aurum, quod in vtero Telluris abditum à Natura ingenioſa, in ſui perniciem mortalium diligentia in lucem erumpens; nobiliorem ex humanis curis ſibi vindicat portionem.

Omitto iſthæc omnia, & in Niue contemplanda, quam omnibus obuiam Aer deturbat, liceat aliquantulum immorari: in hac enim Animus eò gratius detinebitur, quò iucundior in eandem contorquetur aſpectus.

Nuſquam amplius, quàm in Niuis opificio Natura mirabilis. Ex aqua eſt, & in aquam reſoluitur. Solem habet artificem. In Aere candorem induit. Hæc quamuis leuia, ingenium tamen remorantur, ideòque delectant, quia non ſcitu facilia. Iam videtis NN. quò mea progrediatur Oratio. De Niue dicere aggredior, vt è Cęlo lapſæ ad indicium Exquilini Templi Niues Virginem Dei Genitricem vobis indicent, & in ea candorem Virginis adoretis. Niuem (vt paulò antè diximus) ex aqua eſſe, vel in mari, vel in fluminibus ſtagnante ab experientia ipſa didicimus, cum Niuem in aquam conſpicimus eliquari. Ex reliqua.

Adæ progenie Virgo eſt, etſi aquæ multæ, Populi multi, vna eſt ex hoc Populo Dei Genitrix, & cum cęteris hominibus ex humano ſemine procreata. Deſipuere nimiùm quicumque exortem humanæ naturæ Dei Matrem ex quadam, vel Angelica, vel plusquàm humana ſubſtantia cõfinxerunt, & ex temeraria Religionis affectatione in impietatem inciderunt; quandoquidem ſacras paginas arguere mendacij, vbi pluries homo Diuina Soboles nuncupatur, quia humanitatem in Vtero Virginis ex nullo Patris ſemine induit, nec meritò hominem, niſi ex homine genitum appellares.

Aqua illa, quæ in niuem formanda eſt arcana ſolis vi, veluti à magnete ferrum, ſurſum trahitur: & ablato frigore, &, quæ comes eſt frigoris, grauitate; in aerijs ſtationibus collocatur. Nec cogites noſtræ Aquæ frigus, aut pondus criminis cęteris hominibus communis inhæſiſſe; in Virginem ius vllum peccato vnquã tribuere, & ſeruituti Dęmonis vel per vnicum momentum addicere non decet, quia in ſuæ Prolis Genitricem delegerat Deus. Nuſquam illa non ſancta. Nunquam non gratiæ vbertate locupletiſſima. In initio viarum ſuarum poſſedit illam Deus, in primo, videlicet, Conceptionis exordio. Vſquequaque decora eſt & formoſa hæc Principis filia, dum in calceamẽtis quoq; in prima ſcilicet, generatione redolet ſanctitatem. Haud adeò ſublimis frondentem verticem Cęlo noſtra hæc Cedrus inſeruiſſet, ſi culpa vel leuis eius radicem vitiaſſet. Non eſſet Eccleſiæ campis, cur tantum de oliuę ſpecie ſuperbirent, ſi in ſolo Dęmonis, ſpatio quantumuis breuiſſimo vixiſſet. Communi illam exemit culpa præueniens Dei gratia, dum ex nihilo eductam, ad ſublime Sanctitatis faſtigium euexit, ferueſcentem perpetuis æſtibus charitatis, ad gratiæ incrementa ſuſcipienda, ad aſcendendum ſuperius præparauit.

In aeream regionem, ideſt, in officinam naturæ (vnde quicquid infra Cęlum gignitur, deuenit, & vbi elementa per mutuas cædes Mundum, vt reſtaurent, populantur) rapti vapores aquei, alij calore deficiente, in pluuiam delabuntur, alij ex obſtinata ſeditione frigoris cum calore, in grandinem obdureſcunt, ſegetibus, vuiſquè naſcentibus inimicam, alij in congreſſu minus atroci nullum inteſtini caloris paſſi diſpendium, in niuem tranſeunt. Nullum, fateor, in Virgine factum eſt charitatis cum peccato diſ-

ſidium,

ſidium, nec in illam hoſtis Tartarei, vel acerba, vel blanda certamina prorepſerunt. Draconis ceruice contrita, nec minimum fuit ab afflatibus eiuſdem Draconis paſſa diſcrimen. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata, nullis aggreſſibus tentata eſt, nullo penitus armorum genere laceſſita.

Quicquid tamen ex deuicto hoſte Tartareo exuuiarum cęteri capiunt, in ipſa longè ſpecioſiùs eminet. Nec pudicitiæ titulus Suſannæ ex recuſato cum ſenioribus Aſſyrijs infami concubitu tantus emicuit. Nec tantum ſeruatæ caſtitatis, illicijs Aegyptiæ mulieris appetitæ; in Ioſeph prouenit decus; quantum in Dei Genitrice illibati candoris emicat iubar, etſi nullæ in eam illecebræ coniurarint. Mirabilem inficiabitur nemo. Exhibuit Agnes Romana Virginitatem, dum tredecennis puella non modo inter blandimenta pereuntis adoleſcentis ſeruauit intemeratam; verũ in flammas irrupit, occurrit verberibus, ſecuri ſuccubuit, ſuoque cruore, ne Virginitatis areſceret lillium, irrigauit. Inter portenta Siciliæ, Luciæ pudicitiam, & exhibitam inter tormenta conſtantiam crediderim recenſendam. Profuſa ſunt patrimonia, remiſſus eſt opibus nuncius, contemptus Procorum amor, neglectum familiæ decus, in mortem per pœnas innumeras properatum eſt; ne niuibus caſtitatis damnum accederet. Admiror omnes Cœli Heroinas, Amazones Chriſti veneror vniuerſas, quarum virgineum candorem tot pœnæ, tot ſupplicia propugnarunt. In Niue noſtra longè hæc antecellunt, etſi multæ filiæ cõgregauerunt diuitias, fortis hęc mulierum Anteſignana ſupergreſſa eſt vniuerſas. Sine prælio victrix, ſine ſanguine Martyr, in victoria pręſtitit vniuerſis, martyrij lauream cęteris opulentiorem obtinuit.

In niuem conglaciatus humor aqueus ex pręlio frigoris cum calore in terram decidit, ſuoque candore veſtit montes, atque planities efficit pulchriores. Credidiſſetis in tàm ſublime diuinę amicitię euectam Virginem humanæ conditionis imbecillitatem iam dedignantem, nec noſtri vllam omninò rationem habuiſſe. At vide quantum erroris habeat hæc ſententia: humanis illa neceſſitatibus patrocinatur, mortalium euehit merita, infirmitates noſtras fouet, nihil habet potius, quàm vt humanis ſceleribus indignantis Dei ſedet iracundiam.

Leuia ſunt iſthæc. Quidquid ab inexhauſto diuinę liberalita-

tis

tiſęrario gratiarum in homines prodit, ea impetrante conceditur. Si quis inter pericula, mortis faucibus eripitur; acceptam incolumitatem Virgini debet. Alius iam letho proximus humanę vitę vale dicebat extremum, & natura ipſa obſtupeſcente, in profugam remigrauit vitam; deſperatę vitę vſuram Deiparę refert acceptam. Vulneribus alius petitus innumeris, fugientes ſpiritus ſi ad vitę munia reuocat, cunctiſque mirantibus longè arcet occaſum; in cauſa mortis prohibitę Virgo eſt, eique ſeruata ſalus eſt adſcribenda.

Hęc momenti licet exigui arbitremur, quamuis ſint maxima admirationis tamen ſibi portionem non concilient, quę tota beneficijs multò luculentioribus eſt impendenda. Rueret moles hęc rerum vniuerſa, & indignante Cœlo ob ſcelera mortalium, vel abſumeremur incendijs, vel ingruentium imbrium eluuionibus miſerè obrueremur; niſi Virgo indignationem Diuini Numinis temperaret, atque obiecto Matris nomine, omnem ab irato pectore cupiditatem excuteret vltionis. O nos miſeros Virginis Matris patrocinio deſtitutos! O perituram hominum ſobolem, & dandam peſſum, niſi eam vota Virginis ab interitu vindicarent! Fœcunditatem à niue mutuantur campi, eamque pręſagientibus Agricolis, lętitia maior eſt. Et vnde virtutum feracitas manat in humana pręcordia, niſi ex niueo Virginis candore? Candeſcit pudicitię lilium in animi viridario, cuius amictus teſte noſtrę ſalutis auctore ipſis adimat pretium veſtibus Salomonis? Ab hac niue fœcundatus animus candeſcit in lilium. Vernant roſaria charitatis in pectore, ſuaque pulchritudine probrũ hyemis abigunt. Beatum hac Niue cęleſti pectus purpuraſcit in roſas. Palleſcunt violę in corpore voluntarijs afflictationibus fatigato.

O fœcundiſſimam Niuem, quę non hyemis rigores in terram inducis, ſed flores educas, & meſſium facis vbertatem! Te alij appellationibus alijs proſequantur, & inexplicabiles pręrogatiuas innumeris explicationibus ſaltem delineent, ego in niuis titulis hęreo, & te in Niue è Cęlo decidua tuum auguſtiſſimum Templum deſcribente, contemplabor. Fuſas alij meditantes ſcelerum vmbras, & à te radijs veſtitas mortalium mentes, nuncupent Solem. Alij ex pręſtito laborantibus in tenebris lumine, in te Lunę titulum transferant. Alij te virtutum omnium exẽ-

plar,

Google

plar, vnde mortales informantur, auſpicati, nominent firmamentum. Alij Rubum à Moyſe conſpectum. Alij Iacobi baculum. Alij voluptatis Paradiſum noui Adę hoſpitio nobilitatum appellent; mihi tamen tuam in homines pietatem, & clementiam, atque virtutum omnium fœcunditatem meditanti, vnicus placet titulus Niuis, & hoc nomine arbitror te poſſe aptius, quàm cęteris ſalutari.

Niue tandem in pluuiam reſoluta creſcunt flumina, & cum vberioribus vndarum incrementis in Oceanum, vnde conceſſerant, reuertuntur. Virgo etſi ſemper eadem, adeò tamen omnibus beneficiorum incrementa ſuppeditat; vt dilapſam credideris in beneficientiam. Ab ea enim quæ Paradiſi flumina apud Pſaltē Regium eleuauerunt vocem ſuam, vndarum accipiunt vbertatē. Cogita quotquot decurrere hactenus flumina quorum vocem audiuit Cœlum, & ijs latices ſanctitatis à Virgine conſpexeris impertitos. Ab huius Niuis humoribus creuit Bernardus, flumen illud vberrimum ſanctitatis, illum enim Lac Suauiſſimum ab vberibus Virginis innutriuit. Ab huius Niuis ſalutari pluuia quatuor illa ſapientiæ Paradiſi flumina tumuerunt Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, & Hyeronimus, nec ij tàm altam ad Cęlum vocem extuliſſent, niſi hauſiſſent ab hac Niue aquarum alluuiones, quibus velut Oceanus flumina, vberrimam potuerunt Diuinæ Sapientiæ aquam excipere.

At quantum beneficiorum ex hac Niue in vos proficiſcitur Illuſtriſſimi Proceres? quantum Niui huic à vobis eſt tribuendū? Creuit dignitas veſtra in eam altitudinem; vt pauciores habeat, quas ſequatur, pleraſque cęteras antecedat. Niui debetur veſtra ſublimitas, quæ ipſa in Cęlum rapta, vos in ſuperas Cęli regiones inuexit. *Vaticani verticis gloria penes vos ſtetit. Et quid honorificentius? inſignem Romanæ Vrbis, & Orbis totius, cuius Roma caput eſt, Baſilicam obtinetis. & quid glorioſius? ſecundum à Summo Terrarum Præſide, Cœlique Vicario, & à Patribus purpuratis eius aſſeclis in hac Baſilica locum occupatis. & quid Diuinitati propius?* Longè latèque protenditur veſtri nominis amplitudo, Illuſtriſſimi Patres, & nuſquam Terrarum ignoramini, quò Romani nominis rumor irruperit: & quia extra Mundum duntaxat tacetur Roma; nitore veſtræ gloriæ vacat ſolum, qui Mundi non eſt tractus. Peregrino Romam adeunti præcipua inter curas eſt

Augu.

Auguſtiſſimum Senatum veſtrum oculis vſurpare,quem iam dudum animo hauſerat; & prima voluptatis tyrocinia in Romanarum rerum adminiſtratione, ſtatuuntur in veſtri Ordinis gloria contemplanda.

Magnas in procuratione diuini cultus partes Epiſcopi ſuſtinent; at quot Diœceſibus,non dicam ante recuſatis, quàm ſuſceptis; verùm poſt multos regiminis annos vltrò depoſitis, in veſtrum Ordinem conceſſerunt ? ne eorum nomina nunc recenſeã, vos ipſi monetis : nec eget indicio clariore veſtri cognitio,quandoquidem cuiuſque argumentis poteſt illuſtrari. Dicerem primos familiarum nobilium huius Vrbis, quin & totius Italiæ flores in veſtrum Ordinem cooptari, niſi omnium veſtrum prima nobilitas in virtutibus animi, & Chriſtiana ſanctitate collocaretur. Referrem animi Religionem, & merita,niſi me ſingulorum modeſtia hortaretur, vt ſibi potius gerendo mori, quàm cęteris virtutibus ſtudeam efferendis. Tacebo igitur, ſiue potius linguæ munia adimam, quæ menti tantùm debentur. Contemplabitur hæc, quibus illa enarrandis impar dignoſcitur.

At à Virgine, quæ perennis eſt fons bonorum omnium, proficiſcitur tantus decor. Imbres adeò vberes ab ea, de qua locutus ſum, Niue fluxerunt. Hic denique Titulis veſtris inſeritur Titulus, quòd à ſumma Terrarum, Cęlorumque Regina habetis vnde tantum laudemini.

Dixi.

AD

Digitized by Google

AD IOANNEM BAPTISTAM MAZZIOTTVM
De Niue Virginea ſcribentem.

ABdita Naturæ qui per penetralia currunt,
Plurima Scriptores de niueo imbre ferunt.
Nam primùm ex Ponto genitum, ſeu flumine dicunt,
Formoſam Aeriæ progeniemque plagæ.
Frigoris, atque æſtus per prælia ſumere formam
Candentem, & lapſam condecorare ſolum.
De Niue tu multò ſcribis meliora Ioannes,
A te principium clarius ipſa capit.
Hanc Adam genuit, nutriuit Gratia, Cælum
Protulit, hac ſuperum munere corda beat.

Petrus Toſtus Cæſanus Alumnus.

AD

Digitized by Google

AD AVCTOREM DE NIVI Virginea ſcribentem.

DE niueo eloqueris, Scriptor clariſsime, nimbo,
Deque domo, elapſæ quam docuere niues.
Candidus eſt ſermo quamuis ſub imagine nigra,
Frigidus hic non eſt, eſſe nequit niueus.
Mirifica oblectat pectus dulcedine; nulla
In niue dulcedo eſt, de niue adeſſe nequit.
Lacteus ille foret, verùm calor exit ab ipſo
Magnus, propterea lacteus eſſe nequit.
De Niue ſit tandem, ſed quæ nutritur ab æſtu,
De Niue, quam Matrem Numinis eſſe doces.

Tomas de Iulio Alumnus.

IN NIVEM EXQVILIAM Epigramma.

DVM ſol irrumpens flagrantis clauſtra Leonis
Torrida ſquallentis terga flagellat humi;
Vt ſolis rabiem vincat mens prouida, gratas
Ducit ab Alpinis montibus illa niues.
Dum Leo Tartareus quatiens fera fulmina dextra
Tentat auernali perdere corda face;
Quid non Exquilio Niues de Colle pruinas
Quæritis, vt diri criminis ardor eat?

Dominicus Orpheus de Leonibus Sacrarij
Baſilicæ Vatic. Acolytus.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMAN.